



**Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis  
Ecclesiæ**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiæ, 1688**

Benedictio regulæ generales.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

deducerentur, illudque à principio usq; ad finem audirent, ac tempore offertorii eodem ordine quo ad templum pervenissent, circum eundo altare, offerrent. Volumus ut eidem præscripto quidem insistatur, & circa hoc sponsi ante diem nuptiarum præmoneantur.

Siverò moram facerent, parochus (ut passim hodiè practicatur) missam inchoabit, ut deductio sponorum ad templum promoveatur, actumque copulationis & benedictionis sponorum post finem sacri præstabit.

### Formula testimonialium matrimonii contracti.

**N.N.** Pastor Ecclesiæ parochialis **N.** diœces. Trevir. hasce lecturis in Domino salutem. Notum sit serie præsentium, quod Anno Christi millesimo, sexcentesimo, octuagesimo . . . . die Mensis **N.** in prædictæ Ecclesiæ Parochialis facie, coram populo frequente, ac testibus **N.N.** & **N.** **N.** civibus in **N.** honestus adolescens **N.** honesti viri **N.** civis in **N.** filius legitimus: cum virtuosa virg. **N.N.** honesti viri **N.** civis in **N.** filia legitima, nullo, de quo constet, canonico impedimento reperto, ritu Ecclesiæ Catholicæ solenni, magno matrimonii Sacramento sint iniciati. Quorum matrimonium Deus ter opt. max. fœcundet. In quorum fidem hasce sigillo parochialis meæ Ecclesiæ ac subscriptione meâ munitas dedi **N.** die . . . Mensis **N.** Anno M. DC. ....

### DE BENEDICTIONIBUS.

#### Regulæ Generales.

**N**overit sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipsum, & quæ ad Episcopum, jure pertineant; ne majoris dignitatis munera

## De benedictione aquæ lustralis.

161

nera temerè aut imperitè unquam usurpet propriâ autho-  
ritate.

In omni benedictione extra Missam, sacerdos saltem superpel-  
liceo & stola, pro ratione temporis utatur; nisi aliter in missali  
notetur.

Stando semper benedicat, & aperto capite, in principio cuiusque  
benedictionis dicat:

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cœlum & terram.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum Spiritu tuo.

Deinde dicatur oratio propria, una vel plures prout loco  
iuxta notatum fuerit.

Postea rem aspergat aquâ benedictâ: ubi notatum fuerit, pariter  
incenset nihil dicendo.

Cum sacerdos aliquid benedicturus est, habeat ministrum cum  
vase aquæ benedictæ, & aspergillo & cum hoc rituali libro seu  
missali.

Caveat, ne benedictionis causâ ponat aliquid indecens super Altare,  
veluti esculenta: sed quod eiusmodi est, ponatur super mensam  
commodo loco paratam.

## BENEDICTIO AQUÆ LUSTRALIS ET SALIS.

Omnibus diebus Dominicis (excepto tempore Paschali & Pen-  
tecostali, quibus de fonte baptismi, ante impositionem chrisma-  
tis, tantum aquæ sumitur, ut aspersione consuetæ sufficiat) sacerdos  
salem & aquam benedicit secundum Ecclesiæ antiquam & univer-  
salem consuetudinem, acceptoque aspersorio genuflectit ante altare  
& aspergit altare in medio, in cornu Evangelii & Epistolæ (sed si  
Venerabile patenter sit expositum non aspergitur altare multò minus  
Augustiss. Sacramentum) deinde se, adhuc genuflectens; tertio  
ministros singulos: quartò Clerum; quintò, populum & Ecclesiam  
circumeundo, si transeat ossuarium ibidem consistens orat Psalmum  
De profundis, cū Pater, & Ave, & Collecta generali